Ecce tibi subito ruit impete Lersus abundans,
Spumeus; & cursus magnarum imitatur aquārum.
Fons salue diuine; tibi vis copia Cœli:
Vsque adeo iustis describis tempora metis.

Horariæ Solaria.

ASTronomi vero, cum Solis diurnum, in Cœlo, curriculum, prefixis quibusdam horarijs circulis; velut horarum metis distinxissent: eorundem circulorum similitudines, in Instrumentis varijs; varijs etiam Perspectiuę legibus expressas, eo ordine descripserunt; vt luce sua Sol reddat ipse rationem itineris sui; signetque adamussim, eundem illum, in Instrumento, circulum; quem eo temporis momento in Cœlo tenuerit, horarum artifex idem & ostensor fidelissimus. Huiusmodi Instrumenta sunt Astrolabium Ptolemæi, Planisphærium Ioannis Roias; Astrolabium Catholicum Gemmę Frisij; & eiusdem Annulus Astronomicus. Sunt & alia quorum meminit Vitruuius *lib. 9. cap. 9.* vt Berosi concauum ex quadrato: Aristarchi Samij Scaphe, eiusdemque discus: Eudoxi vel Apollonij Arachne, Scopę Syracusij, Plinthus; Patroclis Pelecinum, siue securis; Dionysiodori Conus; Apollonij Pharetra; & aliorum alia plurima; vt Conarche, Engonaton; & Antiboreum; quorum, si quis maiorem notitiam desideret, videat Commentatores Vitruuij. Circumferuntur preterea quadrantes, Cylindri, Annuli, Noctilabia, Bilimbata, & alia huiusmodi, infinitis, & miris modis, tùm interdiù; luce Solis vel vmbra: tum noctu radio lunari, vel alterius, inspectione sideris, horas demonstrantia.

Horaria Solaria Gnomonica

SEd ea cœteris longe antecellunt, quorum descriptio Geometrica fit, obseruatione motuum vmbrę è stylo, seu Gnomone decidentis, vel obseruatione motuum ipsiusmet radij, per aptati verticem Gnomonis, tum directè, tum reflexè, atque etiam refracte emissi; presertim si non horariæ solùm lineę, in eis designentur; sed etiam cœtera omnia ad Solis primique mobilis motus perfecte cognoscendos pertinentia; quę Perspectiuę arte gnomonica, directo vt dixi radio vel reflexo refractoue designari possunt: qualia instituti nostri est toto isto opere describere; vt quemadmodum Parmenionis illa horaria, apud Vitruuium; sic nostra, etiam, dici queant περὶς τὰ ἱστορέμενα quasi Cœli historia.

Pro-